

De enchondromate / praefatur Jacobus Herz.

Contributors

Herz, Jacobus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Erlangae : Typis Joan. Paul. Adolph. Jungii, 1843.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zzq29aa4>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4 Useclle
REGIAE LITERARUM UNIVERSITATI

FRIDERICO-ALEXANDRINAE

CENTUM ANNIS ABHINC FELICITER INAUGURATAE

SACRA SAECULARIA

DIEBUS AUG. XXIII. XXIV. XXV. MDCCCXLIII

RITE CELEBRANDA

GRATULATUR

**SOCIETAS PHYSICO-MEDICA
ERLANGENSIS**

INTERPRETE PRAESIDE

Dr. JOAN. MICH. LEUPOLDT,

MED. PROF. P. O. ETC.

•••••

DE ENCHONDROMATE

PRAEFATUR

Dr. JACOBUS HERZ,

CLINICI CHIRURGICI MEDICUS ASSISTENS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE SODALIS.

ERLANGAE,

TYPIS JOAN. PAUL. ADOLPH. JUNGII. MDCCCXLIII.

REGIAE LITTERARUM UNIVERSITATIS

PHILOSOPHIAE-MEDICINAE

ACADEMIAE

PHILOSOPHIAE-MEDICINAE

PHILOSOPHIAE-MEDICINAE
ACADEMIAE

PHILOSOPHIAE-MEDICINAE

PHILOSOPHIAE-MEDICINAE
ACADEMIAE

PHILOSOPHIAE-MEDICINAE

PHILOSOPHIAE-MEDICINAE
ACADEMIAE

Doctrina de tumoribus, qui in corpore humano existunt, per multum temporis parum satisfaciebat iis, quae viri et physiologiae et chirurgiae periti jure quodam postulare videbantur, sive de variis tumorum generibus rite et ratione duce digerendis quaesivisses sive de diagnosi, prognosi, therapia ex illa doctrina cum securitate quadam et evidentiâ repetendis. Quo magis sperabant et optabant, ut quam lucem nonnullae artis medicae disciplinae ex accuratiore inquisitione pathologico-anatomica, imprimis ex microscopica illa et chemica nactae essent, eadem huic quoque doctrinae affulgeret. Neque defuerunt, qui experimentis illud tentarent, quibus quid effectum sit, jam satis cognoscimus atque sentimus. Alia enim, quae haud multo abhinc ita fuerunt descripta, ut diversi generis essent et divise tractarentur, jam conjunguntur, alia, quae sub eodem nomine tradebantur, in diversas doctrinae partes discesserunt. Ex quibus unum laudare sufficiat, carcinoma dico, quod cum fungo medullari et haematode ita componitur, ut primo illi nomini haec quoque subjungantur, deinde hoc alterum moneo, quam varii atque diversi tumores ex notione steatomatis et sarcomatis jam rectius discernantur. In illis hic quoque tumor est, quem nos hac disputatione tractandum nobis proposuimus. Joh. MÜLLER, physiologus clarissimus, cui primam ampliorem disquisitionem „de subtiliori tumorum morbosorum structura ac forma“ debemus, enchondromatis nomine malum accuratissime descripsit, quod antea plerumque vago nomine osteosarcomatis, atque etiam cancri ossium etc. appellabatur. Hanc morbi speciem, quae non ita crebro occurrit, in clinico chirurgico Erlangensi occasio mihi facta est, tum in vivis observandi, tum in praeparatis crudis vel in spiritu vini conservatis studio meo persequendi. Quo adductus sum, ut in societate medico-physica aliquoties de hac re verba facerem, et quum hoc mihi muneris injungeretur, ut quod ipse expertus essem, programmate in publicum ederem, quo literarum universitati Friderico-Alexandrinae (cui gratissimum me alumnum esse profiteor) de sacris, quae instant, saecularibus celebrandis societas haec gratularetur, haud ab re fore putabam, si quae res nuper demum inchoata neque ita multis adhuc exemplis explanata est, hanc denuo tractarem et exempla illa meis nonnullis auferem.

Enchondroma, Chondroma, Sarcoma cartilagineum, chondroides (sensu strictiori), tumor cartilagineus, primum a Johanne MÜLLERO *) , ut supra dixi, ex omnibus partibus dispectus et descriptus est. Etenim minime dubium est, atque confirmatur compluribus inquisitionibus, nonnulla ex iis tumoribus, qui priori tempore his nominibus, spinae ventosae, atheromatis nodosi, osteosteatomatis, osteosarcomatis, exostosis malignae, cancri ossium tradebantur, ex aliqua saltem parte enchondromata fuisse. Quae appellationes praeterquam quod nulla eorum in indolem morbi quadrat, vel hanc ob rem improbandae sunt, quod pleraeque tantum ad enchondroma ossium referuntur; hoc autem etiam in mollioribus partibus exoritur. Unde ne hoc quidem probare possumus, quod CHELIUS **) de hoc tumore MÜLLERO auctore in capite de excrescentiis ossis et quidem in adnotatione ad exostosis proprie sic dictam disputat. — Ex prioribus observationibus, quae ad enchondroma spectare videntur, illae inprimis laudandae sunt, quas MERY et Ph. de WALTHER instituerunt, quum WALTHER praecipue singularem mali istius naturam clarius cognosset. Post MÜLLERUM VALENTIN ***) , GLUGE ****) , CHELIUS †) , ROKITANSKY ††) , enchondroma observarunt, partim iidem descripserunt. Etiam in narrationibus de institutis clinicis tempore novissimo in numero morborum ibi commemoratorum enchondroma me legere memini.

Enchondroma tumor quidam funginus ossium et mollium partium, e. g. glandularum est: externa species sphaeroides est, neque in modum loborum †††); formas gignit, solanis tuberosis simillimas et pugni magnitudinem nonnunquam adaequantes. Partes supra tumores positae etiamsi maxime extendantur, tamen morbi expertes esse solent. Si massa tumida in superficie patet neque crusta ossea circumdata (id quod fieri solet, si intra os

*) Rede zur Feier des 42. Stiftungstages des königl. med. - chir. Friedrich - Wilhelms - Instituts am 2. August 1836; quo tempore altera tantum specierum MÜLLERO cognita erat, quae in ossibus existunt. Amplius deinde idem persecutus est hoc libro: Ueber den feineren Bau und die Formen der krankhaften Geschwülste. Erste Lieferung. Berlin 1838. p. 31 — 49.

***) Handbuch der Chirurgie. Ed. 5ta. Tom. II. p. 426.

****) Repertorium für Anatomie und Physiologie 1837. p. 117.

*****) Anatomisch - mikroskopische Untersuchungen. II. p. 153 sqq.

†) l. c.

††) Handbuch der pathologischen Anatomie. Alia in praelectionibus hujus viri collecta mihi tradidit Dr. WINTRICH.

†††) ROKITANSKY speciem crusta ossea carentem lobatam dicit.

exoritur), agglomeratio formatur tuberculorum exiguorum, subrotundorum, quae molli substantia cartilaginea impleta sunt, quod attrectando facile cognoscitur.

In tumore dissecto plerumque duae partes diversi generis conspiciuntur, quas nudis oculis cognoscere licet. Altera pars (quae fere semper reperitur) fibrata est et membranacea et formatur in cellulas majores minoresve, quae magnitudinem pisi vel majorem etiam contingunt; in majoribus saepe etiam minores continentur. Membranae illae fibratae crassitudine diversae sunt: vidi eam quadranti lineae aequatam: color illarum candidior est, quam massa inclusa (Observatio II.). In his cellulis seu excavationibus massa subcana, albens, paululum interlucens, cartilagine mollior, interdum firmo gelato similis posita est. In nonnullis locis inveni foveas parvas ejusdem magnitudinis cum cellulis, in quibus massa etiam mollior erat. — Massa inclusa facile potest e cellulis eximi et friari. In spiritu vini pellucidatem conservat. Massa cartilaginea membranis illis fibratis circumfusa conglomeratio existit, enchondromati propria: membranae vasa sanguifera continent (MÜLLER secundum WALTHERUM): equidem tumoris dissectione facta vidi vasa satis perspicua oculis nudis (Observ. II.).

In disquisitione microscopica membranae cognoscuntur e tenuibus fibris contextae; in parte inclusa formatio cartilaginis maximam partem embryonalis dilucide apparet: cellulae scilicet ovatae vel rotundae vel irregulariter oblongae cum granis; raro cellulae secundariae, certe in ossibus: sed in enchondromate parotidis MÜLLER cellulas alteras alteris interpositas vidit. Cellulae aliquoties majores sunt, quam corpuscula sanguinis humani. Granum saepe valde irregulare est. Praeter grana MÜLLER passim incerta quaedam corpuscula vidit, osseis similia. Substantia inter cellulas intermedia multis locis adhuc imperfecta est, in aliis inter cellulas altera quaedam massa clara cognoscitur, passim fasciculi fibrati. Plerumque enchondroma, sicuti cartilago embryonalis penitus cellulosum est (Obs. I.): raro substantia cartilaginea, quodammodo fibrata, inter cellulas intermedia jam perfecta est, ut MÜLLER in enchondromate testiculi vidit, GLUGE, nos in observ. II, in enchondromate ossium. VALENTIN (l. c.) substantiam intermediam claram et multo magis fibratam vidit, quam in cartilagine esse solet ideoque putat, totam substantiam fibratam fieri.

Enchondroma igitur sicut perscrutatione microscopica cartilagini simile esse intelligitur, ita perscrutatione chemica idem cognoscitur. Omnes enim cartilagine permanentes

sicut ossa ante ossificationem, ubi diutius coquuntur, massam efficiunt, quae ex aliqua parte glutini osseo (collae) chemica ratione respondet, sed eadem multis modis ab eo discedit *). Johannes MÜLLER eam detexit et Chondrinum appellavit. Hoc in enchondromate quoque ossium invenitur (Obs. II.): enchondroma mollium partium modo chondrinum efficit modo collam.

Enchondroma prout vel in mollibus partibus 'vel in osse' nascitur, quod posterius iterum duplici modo evenit, ut vel os expandatur vel tumor ex superficie ejus exurgat, plures etiam diversitates exhibet. — Ubi in mollibus partibus reperitur, involucrum habet tenue et telae cellulosae simile. — Plana articularum ossium hoc morbo aut non multum aut omnino non commutantur (Obs. I. et II.), quare mobilitas conservatur: e. g. tumor globosus phalangis etiamsi amplissimus sit, plana articularum integra in superficie tumoris inveniuntur, atque si duae continentes phalanges hoc morbo correptae sunt, tumor ultra articulum non progreditur, sed manet sejunctio articuli (Obs. II.) et raro tantum ankylosis existit. Partes supra ossa sitae, tendines et muscoli, intactae manere solent. Intra tumorem plerumque fragmenta substantiae osseae spongiosae reperiuntur, quae tamen interdum absunt (Obs. II.). Ex ossibus inprimis enchondromate afficiuntur ossa metacarpi digiti que manus. Exemplorum MÜLLERI pars maxima huc pertinet. Observatio nostra secunda enchondroma perhibet, quod in duobus simul digitis pedis apparebat. —

In ossibus duae enchondromatis species discernendae sunt.

1) Enchondroma ossis cum involucro osseo. Saepissime occurrit in phalangibus et similibus ossibus. Crusta ossis hac re in bullas distenditur (v. fig. 1.). Tela ossea spongiosa mollitur, in cujus locum succedit massa enchondromatis. Interea ossis crusta violenter expanditur, sed diu continuitatem servat neque frangitur, unde colligitur, ossis formationem in superficie perpetuo redintegrari. Tandem vero crusta in singulis partibus fit lacunosa, perforata atque fieri potest, ut exceptis frustulis tenuibus inter se separatis in tumore formam sphaeroiden semper servante crusta plane evanescat.

2) Enchondroma ossium sine crusta bullata. In ossibus praecipue massae spongiosae, ut in pelvi, in ossibus cranii, in costis ex massa illa enchondroma sine crusta in

*) Copiose de hac re disputat MÜLLER l. c., conf. HENLE, Allgem. Anatomie p. 73, VOGEL, Anleitung p. 260.

exteriorem partem explicatur, verum etiam in ossibus longis, imprimis in parte spongiosa versus articulos, rarius in digitorum manus phalangibus. In pedis quoque digitorum phalangibus illud deprehendi, demonstrat observatio secunda. Tum vero superficies non laevis et sphaeroides erit, sed agglomerationem, de qua monuimus, corpusculorum subrotundorum supra vel infra pisorum magnitudinem exhibet. In observatione nostra secunda, quae huc pertinet, species externa fere sphaeroides erat (v. fig. 3.), sed sine ullo ossium involucro: conglomerationes in superficie paulum tantum accrescunt.

Jam de utroque genere exempla quaedam proferemus.

I. Wolfgang Heyder, 44 annos natus, constitutionis firmae et robustae, semper bona valetudine usus praeter gonorrhoeam leviolem et dolores rheumaticos perexiguos, ante hos quinque annos duobus doliis collisis sinistrae manus contusione affectus est, quo facto intumescencia levis sine vehementibus doloribus est secuta. Inunctione spirituosa facta dolores evanuerunt et semestri praeterlapso renovati sunt et remanserunt in prima phalange digiti annularis. Phalanx paulatim intumescerebat neque tamen ita ut opera diurna impedirentur; inunctionibus remedium non est allatum: proximo semestri tumor celerius incresebat. Mense Majo a. 1833 in clinicum chirurgicum Erlangense receptus est. — Prima phalanx digiti annularis duobus pollicibus crassior erat, quam sana dextra (v. fig. 1): tumor est durus, cutis supra illum colore non infecta, normalis: attactus solum in vola manus dolorem efficit: articuli metacarpi et phalangis secundae mobiles sunt, unde concluditur, capitula intacta esse. Omnino bona utitur valetudine. — Exarticulatio digiti annularis a professore DIETZ, tum temporis clinici direttore, facta est. Sanatio bene cessit. — Articuli, quamquam in tumore paene latent, normales sunt: superficies tumoris aequalem in modum subrotunda, cum tuberculis parvis: involucrum ex periosteo passim concretiori constat. Crusta ossis expansa est, extenuata, passim plane deest; aliis in partibus ambitus ejus dimidiam lineam usque ad integram adaequat. Tumor facillime dissecatur et fragmenta substantiae osseae spongiosae exhibet, inter quam massa cartilaginea vel gelatinosa inserta est (v. fig. 6). In praeparato in spiritu vini conservato cellulae tunicis fibratis formatae etiam nunc cernuntur. Tendines flexorum applanatae sunt, tendo extensoris membranacea et lata est. Phalanx secunda et tertia normalis. — Inquisitione microscopica cognoscitur telam penitus ex corpusculis cartilagineis constare: substantia intermedia propemodum nulla adest.

II. Walburga Nagl, serva rustica, Thurni prope Erlangam nata ad 28 usque aetatis annum bona valetudine usa, corporis evolutione retardata anno aetatis vicesimo quarto demum menstruaverat, quo ex tempore menstrua ad regulam procedebant. Ante hos duodecim annos in pedis sinistri digiti tertii phalange prima et post nonnullos annos in quarti digiti phalange eadem ultro tumor exortus est. Inde a quinto abhinc anno tumores celerius crescere aegrota putat. Semper bene valuit neque dolorem tumores efficiebant. Initio mensis Novembris a. 1841 in clinicum chirurgicum Erlangense duce HEYFELDERO recepta est. v. Fig. 3. — In phalangi- bus duo tumores subrotundi conspiciuntur, qui tubercula nonnulla sphaeroidica perhibent: reliquae phalanges digiti tertii et phalanx tertia digiti quarti intactae sunt, secunda autem pha- lanx digiti quarti paulum turgida esse videtur. Tumores tuberosi sunt et duobus solanis tube- rosis continentibus similes. Articuli, quibus phalanges inter se et cum metatarso junguntur, integri sunt et digiti moveri possunt. Cutis tumoribus imposita normalis, sed expansa et tensa, eadem tamen loco moveri potest. Tumorum attactus massam cartilagineam esse probat: in- volucrum osseum non sentitur. — Duorum digitorum exarticulatio mihi delata et a me perfecta est. Sanatio bene cessit. — In tumore disquirendo tendines apparent, sed passim loco suo motae et extenuatae. Tumor digiti tertii involucrum habet cellulosum, in superficie externa tubercula conspiciuntur sphaeroidica, non multum exsurgentia, variae magnitudinis a piso us- que ad crucigerum. Articuli, quibus metatarsus cum phalange et phalanx prima cum secunda junguntur, integri sunt: phalanx secunda et tertia intactae. Os phalangis morbo correptae in planta propemodum per totum tumorem sentitur, qui ex illo enatus esse videtur: solidum est, latitudinis solitae, crassitudinis autem aliquantum interiit: in ea parte, quae tumorem versus sita est, asperum et inaequale, ex aliqua parte excavatum et versus articulum phalangis se- cundae facile frangitur. Articulus versus phalangem secundam a reliquo osse sejunctus est. In tumore dissecto massa cartilaginea, mollis conspicitur, membranis fibratis inclusa, qua re cellulae oriuntur, quarum aliae magis, aliae minus apparent et magnitudinem dimidiae lineae vel complurium exhibent. v. fig. 5. Nonnullis in partibus foveae parvae reperiuntur, in quibus massa gelato molli similis est. Membranae fibratae candidiores sunt quam substantia cartilaginea: am- bitus varius, usque ad quadrantem lineae; cellulae, quas efficiunt, subrotundae sunt; vasa sanguifera praecipue versus medium tumorem perspiciuntur. In tumoris substantia particulae osseae non cernuntur. Alterius digiti tumor speciem praebet pruni Armeniaci parvi: conjunctio articularis cum metatarso normalis est, reliquum ossis plane evanuit, ne quidquam restat nisi

lamina tenuis ad efficiendam conjunctionem articulare[m] cum phalange secunda. Tumor[is] massa eadem est quae in tumore supra descripto: particulae ossis spongiosi non adsunt. Secunda hujus digiti phalanx eodem modo in enchondroma conformata est, quod magnitudinem glandis sclopetariae minoris contingit: articuli integri sunt et in planta phalangis os fere totum adest. — Perscrutatione microscopica corpuscula cartilaginea inveniuntur tum frequentiora tum rariora. Substantia intermedia partim granulata partim non distincte fibrata, partim plane clara conspicitur. v. fig. 2. Membranae fibratae ex fibris consistunt. — Particula tumoris in spiritu vini conservati per duodecim horas coquebatur, unde haec inveni: alumen praecipitatum effecit, quod ope cali acetici solutum est: praecipitatum acidi acetici solutum est ope cali carbonici: tinctura gallarum et plumbum aceticum praecipitarunt. Unde efficitur, hanc substantiam ex multis partibus cum chondrino MÜLLERI consentire. Quod substantiae coctae reliquum erat, microscopii ope exploratum est. Praeter telam dissolutam inveni magnam adipis copiam. Usque ad hoc tempus malum non rediit. —

Enchondroma tardissime crescit neque dolores efficit; simul corporis constitutioni minime nocet et vel decem atque etiam viginti annos succrescere potest nullo illius detrimento (Observatio II.). Postquam per aliquot annos adolevit, tamen postremo rumpitur, nonnunquam cum doloribus, id quod etiam in aliis tumoribus non periculosus observatur: cum extensio nimia partium circumjacentium vel laesiones fortuitae tumorum inflammationem et suppurationem excitant, unde ichor et ossium necrosis oritur; quo facto ex virium consumptione et dissolutione locali etiam corporis constitutio valde debilitatur. Sanari potest operatione, etiamsi ulceratio adsit et neque eodem loco neque in aliis partibus redintegratur. — Interdum accidit, ut enchondroma simul in pluribus partibus nascatur, e. g. in compluribus ossibus metacarpi et in phalangibus digitorum, neque inde colligi debet, corporis constitutionem depravatam esse. Etenim in tali membrorum conditione, manu, quae illo malo affecta est, amputata, tumor non renascitur. Itaque si causa morbi adsit ad universam ossium constitutionem pertinens, neque tamen gravioris momenti vel indolis canceraticae est. Quum enchondroma MÜLLERO auctore maximam partem in pueritia exoriatur plerique homines, in quibus observatum est, vel adolescentes vel pueri fuerint, qui mature malum illud conceperant, aut ubi in adultis repertum est, origo ejus ad pueritiam reduci potuerit, ille hunc ossium habitum enchondromaticum

universalem cum effectibus comparat dyscrasiae scrofulosae, quae et ipsa vim suam maximam in pueritiam exerceat. Aetate proveciori in utroque causam universalem extinguere, hujus autem effecta tumores scilicet remanere neque posse removeri: sed hos jam topicos tantum morbos esse atque operatione sanabiles. — Attamen etiam in adultis enchondroma gigni, CHELIUS *) observavit et observatione prima nostra idem efficitur. — Enchondroma plerumque in ossibus oritur damnis illatis, laesionibus, contusionibus (Obs. I.).

Jam si de enchondromatis natura judicandum, haec in eo posita est, ut substantia cartilaginosa singularibus formis oriatur, quae embryonalis esse solet. Nam in hoc ipso secundum MÜLLERUM morbi indoles consistit, quod telae in talibus locis apparent, quibus non conveniunt, neque ad extremum formandi finem progrediuntur. Enchondroma tumor est bonae indolis, sicuti Julio VOGELIO de omnibus videtur, in quibus tela quaedam normalis (cartilaginea, cellulosa etc.) apparet: contra ubi principia formationis non ad certam quandam telam inclinant, tumor malae indolis efficitur.

In partibus mollibus multo rarius est, quam in ossibus: ex triginta sex casibus, quos MÜLLER enchondromati adnumerat, tantum quatuor ad priores illas pertinent. — Aliae ossium affectiones morbosae rarissime cum enchondromate conjunctae sunt. Idem raro ita invenitur, ut cum aliis tumoribus sit consociatum. MÜLLER tale vidit sine crusta ossea in superiori parte tibiae spongiosa versus articulum. Tumor in externam tibiam provenerat et fibulae partem deleverat: simul cum enchondromate alter tumor vasculosus, ab illo plane diversus, ortus erat, qui prope illud exstitit. In eodem loco tibiae pueri quatuordecim annos nati GLUGE **) tumorem vidit, in cujus parte interiori cavea magna sanguine impleta formata erat, quae usque ad tibiam internam affectam pertinebat. In hac ipsa massam quandam carneam fibrosam et enchondromaticam distinxit. Idem in tumore colli anus massam quandam gelato similem, pinguedinem, massam steatomatosam et enchondromaticam et MÜLLER enchondroma separatum juxta carcinoma in testiculo invenit.

Magni interest, imprimis in usum diagnoseos et prognoseos, enchondroma a ceteris tumoribus recte discerni. Facillime confunditur cum tumoribus fibratis, et in partibus

*) l. c.

**) l. c.

mollibus et praecipue cum tumores in ossibus gignuntur eorumque crustam extendunt. **JOH. MÜLLER** quoque narrat, hujusmodi praeparata se vidisse*); tamen ille in tabulis pictis vel in morborum historiis vel etiam in praeparatis siccis enchondromata detexisse sibi visus est. Sed quam facilis in talibus error sit, hi casus demonstrabunt.

a. Henricus Gierer vico Vacho oriundus, 42 annos natus, rusticus firmae valetudinis, m. Julio a. 1842 in clinicum chirurgicum a prof. Heyfeldero receptus est ob pedis dextri tumorem, qui in digito quarto versus tertium in ovuli gallinacei ambitum ex sex annis paulatim succreverat. Ipse putat, eum inde exortum esse, quod saepissime nudis pedibus incesserit, quare excoriations effectae sint. Interdum tumor dolet maxime hieme. Tumor non a phalangibus oritur: digitus optime moveri potest. Tumor plane eandem praebet faciem sphaeroiden cum tuberibus exiguis, quae enchondromatis propria est, neque ubi attactu tentatur, ab illo discerni potest, quam ob rem enchondroma esse censebatur. Exstirpatione a me facta cognitum est, tumorem involucro celluloso circumfusum et cum phalange et tendinibus tela cellulosa firme conjunctum esse, quae omnia erant normalia. Tumore dissecto substantia fibrata et disquisitione microscopica massa quaedam fibriformis amorpha reperta est, quae acido acetico instillato grana cellularum oblonga exhibuit.

b. Christophorus Scheuerlein, mercenarius sanus et ex parentibus sanis ortus, 33 a. natus, m. Octobr. a. 1833 in clinicum chirurg. a prof. Dietz receptus est. Quum antea neque doloribus rheumaticis neque dentibus cariosis affectus esset, dolores vehementes in mandibula sinistra exorti sunt, quo facto tumor parvus et durus apparuit, qui dolores graves movit praecipue ubi coeli status mutaretur. Per sex menses non multum increcebat, tum vero multum augebatur: dentes labefacti et extracti sunt. In medio tumore abscessus parvus ortus se aperuit et paulo post consanuit. Anno praeterlapso tumor talem nactus erat ambitum, ut totam mandibulam sinistram occuparet, ovo minori struthionis forma et magnitudine similis. Cutis immutata erat et mobilis, tumor durus et paululum inaequalis: mandibula et tumor in illa optime moveri poterant. Mandibula sinistra a clinici directore excisa est. Sanatio bene cessit. Praeparatum conservatur in museo pathologico clinici chirurgici. Ex mandibula sinistra nil nisi duo processus restant, tenui osse conjuncti et a reliquo tumore plane separati. Pars reliqua mandibulae sini-

*) Ueber den feineren Bau etc. p. 33.

strae in bullae formam expansa tumori involucri instar circumdatur: multis in locis crusta ossea deest et periosteum tantum eum integit. Versus cavum oris tumor omnis involucri expers ascendit. Quo loco os serra dissectum est, normalem habet formam. In interiore tumore massa quaedam firmior, aequalis cognoscitur, cellulis fibratis majoribus minoribusve inclusa, cui particulae ossis inspersae sunt: sub microscopio massa fibrata, in substantia molli et imprimis in substantia inclusa tela spiritu vini dissoluta neque satis discernenda. Cellulae (cellulae scirrhi) non distinguuntur.

c. In Loderi diario chirurgico etc. *) a Lentino tumor descriptus est et depictus, qui enchondromati omnibus rationibus simillimus est. Lentinus quidem bursae mucosae morbo effectum putat. Pueri quatuordecim annos nati manus sinistra ante hos duodecim annos contusa erat, quo facto in digito annulari et minimo tumor ortus est bullosus. Candidus erat sicuti cutis, elasticus neque movebat dolorem. Puer optima valetudine utebatur, operatio instituta est et bene cessit. Tumor dissectus exhibuit substantiam pinguem, caseosam, cui cartilaginis particulae parvae erant inspersae. Praeparatum in museum Blumenbachianum translatum est. Equidem quum aliquando abhinc audivissem, prof. Vogelium in museo Blumenbachiano praeparatum invenisse, quod enchondromati simillimum sub microscopio enchondromatis structuram non exhibuisset, statim de casu in Loderi diario descripto illi scripsi, qui humanissime atque liberalissime de hac re me edocuit nec non scripta et effigiem in publicum edere mihi permisit. Haec fere sunt, quae mecum communicavit et quibus verisimile redditur, praeparatum illud ad tumorem a Lentino descriptum pertinere. Etsi tumorum forma enchondromati simillima, tamen tumores enchondromata non sunt. —

„Praeparatum exhibet tumores duos subrotundos, magnitudine impares (fig. 9 A et B), qui tendinibus m. flexorum digitorum in laqueum mutatis continentur. Utrique tumori digitus adhaeret. Ultima phalanx digiti A normalis est, articulus ejus mobilis: tumor secundae phalangis cerasum magnitudine aequat, crusta ossea circumdatus est et continet massam albescentem, perlucens; uterque articulus normalis et mobilis. Qui sit primae phalangis conditio, non plane perspicitur: articulus, quo prima cum secunda jungitur, immutatus et mobilis est: sed sub hoc ipso os latius in tumorem subrotundum exit, qui pugnum infantilem magnitudine aequat et phalange ipsa effectus esse videtur: facies articularis versus os metacarpi non distinguitur. Os metacarpi extirpatum esse videtur neque inveniri potuit. Tumor ille

*) Tom. I. Jena 1797 P. 60.

periosteo et crusta ossea circumdatur, quae nonnullis in locis deest. Intra tumorem massa est e cano alba, lardaria, semipellucida, quae cum crusta ossea arctissime conjuncta est, in illam transit et cui particulae osseae (quod etiam microscopium docet) sunt inspersae. Massa lardaria non est cartilaginea, sed sub microscopio cognoscitur fibrata, amorpha: acido acetico instillato grana cellularum [oblonga reperiuntur. — Tumoris B phalanx tertia et secunda normales, mobiles: phalanx prima solitam adaequat magnitudinem, articuli integri, sed diaphysis in tumorem mutata est nuci juglandi similem, crusta ossea circumdatum. Articulus, quo phalanx cum osse metacarpi jungitur, normalis: os metacarpi in tumorem mutatum pomo parvo similem, crusta ossea circumdatum. Crusta dissecta in modum chartae tenuis deorsum in ambitum duarum linearum uno quodam loco increscit, qui articulus esse videtur, quo metecarpus cum carpo jungitur, sed facies articularis non satis recte perspicitur. Juxta hunc locum tumor dimidius positus est qui tela cellulosa laxa cum eo conjunctus est; idem crusta ossea circumdatur, ex osse metacarpi adjacente ortus et operatione dissectus esse videtur. — Conditio histologica tumorum eadem est, quam in tumore A commemoravimus.“ —

Ergo vidimus, oriri in hominibus sanis (Observationes a. b. c.), in infantia (Obs. c.), laesionibus ossibus illatis (Obs. a. c.) tumores, qui tardissime increscunt neque celeriter rumpuntur (Obs. a. c.), faciem habent sphaeroidem (Obs. a. b. c.), in partibus mollibus involucro celluloso (Obs. a.), in ossibus crusta ossea, extensa, bullosa circumdantur (Obs. b. c.). Neque cutis tumoribus imposita, neque partes circumjacentes mutantur (Obs. a. b. c.), articuli ossium malo infectorum sunt integri (Obs. b. c.), quae res omnes enchondromatis propriae sunt, neque tamen hi tumores sunt enchondromata. Unusquisque intelliget, quam difficilis in his casibus sit diagnosi et concedet, facile fieri posse, ut enchondromata, praesertim si ex effigiebus, morborum historiis etc. judicaveris, cum his tumoribus confundantur. Accuratissima tantum disquisitione, inprimis microscopica errores vitari poterunt. Ceterum incrementum tumoris citatum, quod in casu b commemoravimus et dolores rheumatici, qui ad casus b et c pertinent, in enchondromate observari non solent, ideoque haec proprii aliquid habere possimus. — Atque etiam ex ossis superficie tumores fibrati oriuntur, qui lobati sunt. — Omnes tumores fibrati, ut jam diximus, sub microscopio meras fibras exhibent. Operatione sanari possunt.

Sed de alio adhuc tumore dicendum.

V. fig. 4. Georgius Spörl, servus rusticus, Schleifhusiae prope Erlangam sanis ex parentibus natus, ad 34 usque aetatis annum optima valetudine usus, autumno a. 1839. propter tumorem in ultima pollicis dextri phalange clinicum Erlangense adiit. In pollice ante duos annos excrescentiae parvae (pisi magnitudinem non superantes) progerminaverant, initio paulisper mobiles, quae sensim eo usque increverant, ut totam faciem volarem phalangis comprehenderent. Cutis eas obtegens antehac normalis fuerat, tum rubuerat, paululumque humoris destillaverat; et ab eo inde tempore aegrotus vehementissimis doloribus cruciatus est. Quum pollice dextro in laboribus suis multum usus esset, hanc causam mali fuisse putabat. Quod cum exploraretur, volari faciei phalangis dextri pollicis ultimae tumorem inesse apparuit, qui nucem juglandem ambitu aequaret, inaequalis et gibbus esset, pluribusque tuberibus discretis variae magnitudinis (acus capitis, pisi, nucis avellanae), rotundis, circumscriptis componeretur. Cute rubente extenuata obductus adspectum offert nitidum porcellaneum. Immobilis est, ossi firmiter adhaeret; tubera superiora tactu cartilaginea sunt, basis durior est, ossea. Ultima phalanx, cum articulus adhuc integer esset, ex hoc extirpata est, quod professor Stromeyer, tum temporis clinici director, mihi commisit. Vulneris sanatio bene cessit. Tumor post extirpationem accurate exploratus plures loculos obtulit, superne et in lateribus cartilagineos, raris lamellis osseis praetextos; basis ossea fuit, phalangis ossi autem non immediate insedit, sed periosteo ab illo separata erat. Duobus vero locis tumor, cum in phalangem sese insinuasset, illam excavaverat; ceterum phalangi taeniis firmis membranosis adeo erat connexus, ut haec insertio non nisi partibus caute dissectis et accurate inspectis cognosci posset. Reliqua omnia sanissima fuerunt, tota vera phalanx extenuata. Aegrotus hucusque de malo recidivo nihil detulit. — Hunc tumorem prof. Julius VOGEL, quum Erlangae versaretur, perscrutatus est atque telam microscopii ope indagatam delineavit. Morbi historiam supra traditam equidem cum illo communicavi *). Tum temporis tumor a phalange nondum erat separatus, ideoque, quia fere nullo loco cum illa cohaerebat, putabatur omnino non ad eam pertinere. Sed antequam hunc libellum scripsi, tumorem a phalange sejunxi atque vidi, cum phalangis osse eum exigua parte cohaerere, quae lenticulae magnitudinem non superat. — Sub microscopio (v. fig. 7.) partes cartilagosae cellularum cartilaginosis acervas vel cellulas singulas in substantia intermedia

*) VOGEL, Erläuterungstafeln zur pathologischen Anatomie, Leipzig 1843, p. 48.

amorpha exhibent, pars ossea acido acetico instillato ebullit atque (v. fig. 8) corpuscula ossis canaliculique ossei cylindrici, lamellis orbicularibus cincti, conspiciuntur.

Ita hic tumor partim enchondroma partim exostosis est, sed utro nomine appellandus sit dubium. MÜLLER quoque citavit casus duos ab A. COOPERO observatos, in quibus substantia ossea et cartilaginea simul adfuissent, et enchondromata illa appellavit, eo quidem jure, quod pars maxima tumorum cartilaginea erat. VOGEL nostrum quoque casum enchondromati adnumerat partim in os mutato. Enchondroma autem verum non ossificatur, sed in cartilaginis formatione persistit, neque est, quod hunc tumorem enchondroma appellemus: exostosis enim est, partim adhuc cartilaginea. — Hos casus, in quibus tumor exostoseos formam habet partimque osseus partimque cartilagineus est, exostosi adnumerandos esse censemus.

Jam ad enchondroma de aliis tumoribus discernendum haec dicenda sunt. — In mollioribus partibus a scirrhus, fungo medullari etc. facile distingui potest. Sarcomatis quasdam formas statuere licet tam similes enchondromati esse posse, quam tumorem illum fibratum in obs. nostra a descriptum. Dissectus demum tumor et microscopio indagatus nos edocere potest, qualis sit. — Ossa scirrhus et fungus medullaris quoque expandit vel ex illorum superficie oritur. Si os expanditur, mox etiam rumpitur. Ceterum in aliis quoque partibus tumores scirrhosi adesse solent et valetudinis ratio universalis de mali natura nos certiores facit. Sarcoma cellulosum quoque ossa expandit vel ex ossium superficie accrescit: hydatides in ossibus reperiuntur atque nonnunquam ossa expandunt, quae facile franguntur. Quorum tumorum diagnosin saepe difficillimam esse intelligitur, imprimis si ossa iis extenduntur; atque priusquam tumor dissectus vel etiam microscopii ope indagatus est, nonnunquam diagnosin certa esse nequit.

Explicatio figurarum.

- Fig. 1. Digiti annularis sinistri phalanx prima enchondromate crusta ossea circumdata affecta est. Cutis remota est. Vid. p. 7. Obs. I.
- Fig. 2. Tela cartilaginea enchondromatis, quod obs. nostra II. pag. 8. descriptum est, microscopii ope indagata: corpuscula sunt cartilaginis et substantia intermedia. Magnitudo figurarum microscopicarum 130. in diam. aucta est. In his disquisitionibus et in figuris delineandis prof. de Siebold mihi aderat adjutor humanissimus.

- Fig. 3. Pes sinister Walburgae Nagl, cujus digitus tertius et quartus enchondromate affecti sunt: vid. obs. II. pag. 8. Digiti minimi forma inde exorta est, quia tumoribus premitur.
- Fig. 4. Exostosis pag. 14 descripta, in nonnullis partibus cartilaginea. Hamulis detrahitur, ut videas, in phalangem sese insinuasse atque excavasse illam. Exigua parte phalangi inhaeret.
- Fig. 5. Enchondroma Walburgae Nagl alterum (Fig. 3.) dissectum est. Videntur cellulae membranarum fibratis effectae et foveae parvae, quas supra (p. 8) commemoravimus.
- Fig. 6. Digitus annularis, qui fig. 1. delineatus est, persectus est. Tela cartilaginea membranarum fibratis et substantiae ossis spongiosae particulis inspersa. Enchondroma crusta ossea circumdatum est. Tendines in digito conspiciuntur (vid. p. 7.)
- Fig. 7. Tela microscopica tumoris fig. 4. delineati. Fig. 7 pars cartilaginea: corpusculorum cartilaginis acervae et corpuscula singularia in substantia cartilaginis intermedia. et 8. Fig. 8 pars ossea: corpuscula ossea et canaliculus osseus persectus, lamellis orbicularibus cinctus.
- Fig. 9. Tumores fibrosi, quos Vogelius delineavit. vid. p. 12 Obs. c. Tumores duo A et B laqueo, a. conjuncti sunt, b. tumor phalangis primae, c. tumor ossis metacarpi, d. tumor dimidius, qui ad os metacarpi adjacens pertinere videtur. Hos tumores enchondromati simillimos esse perspicuum est.

Sed jam veniendum est ad eam rem, quae haec scribendi laetam dedit occasionem. Instant enim regiae literarum universitatis Friderico-Alexandrinae, primum post inaugurationem saeculum nunc ipsum felicissime condentis, sacra saecularia propediem celebranda, quae societas physico-medica Erlangensis facere non potest, quin almae suae matri cum summae pietatis significatione gratuletur. Nam quo tristiori tempore ex alma Friderico-Alexandrina nata societas est, quo quidem peregrinus ille domitor populorum non solum hanc almam matrem a regno, cui intimae fuerat curae, avulserat, sed etiam universam patriam Germanicam oppressam tenebat, eo majori cum voluptate feliciora tempora utrique vidit interea revertipia filia, quae nunc ipsum et rara, quae instant, sacra officiosissima salutatione prosequitur, et, ut haec regia literarum universitas in omne posterum tempus, nobilis illius arboris instar, semper abundet studiorum in divina humanaque sapientia versantium simul floribus simul fructibus, sincere optat idque, gubernante Deo ter optimo maximo, auspiciis augustissimi Regis ejusdemque Rectoris magnificentissimi, ita futurum esse sperat atque confidit.



